

<Distinctio XII>

/Vb 187rb; X 362a/ “Item queritur”, etc. Postquam Magister determinavit de emanatione Spiritus Sancti in ordine ad principium, hic determinat de ea in ordine ad modum; quaerit enim
5 utrum Spiritus Sanctus procedat uniformiter a Filio et a Patre, vel procedat per prius a Patre et plenius ac magis. Et circa hoc duo facit. Primo enim inquit an per prius procedat a Patre quam a Filio; et secundo an plenius vel magis. Secunda ibi: “Nunc tractandum est”.

Circa primum facit duo. Movet enim primo dubitationem, dicens quod hic quaerendum est utrum Spiritus per prius procedat a Patre quam a Filio, et etiam utrum magis procedat. Et probat
10 haereticus quod per prius, quia aut /Vb 187va/ procedit a Patre, Filio iam nato, aut Filio nondum nato; sed non Filio iam nato, quia secundum hoc processionem Spiritus nativitas praecederet; igitur procedit Filio nondum nato, et ita ante procedit a Patre quam Filius sit genitus, et per consequens est per prius ab eo. /X 362b/

Secundo ibi: “His et huiusmodi quaestionibus”. Respondet magister, secundum Augustinum,
15 quod in illa summa trinitate nulla intervalla temporum esse possunt per quae saltem <inquiri> [requiri] possit utrum prius de Patre sit natus Filius et postea Spiritus processerit de ambobus; unde dicendum est ad interrogationem haeretici quod non processit Spiritus Filio iam nato, nec Filio nondum nato, quoniam ibi nec prius nec posterius assignatur.

Postmodum ibi: “Nunc tractandum est”. Magister inquit an saltem magis vel plenius. Et
20 circa hoc facit quinque. Primo enim quaestionem proponit et solvit, dicens quod nunc tractandum est quod secundario quaerebatur, an scilicet magis vel plenius procedat a Patre Spiritus quam a Filio, et dicendum est quod nec plenius nec magis.

Secundo ibi: “Augustinus obiicit contra istam responsionem”. Ab illo enim videtur Spiritus emanare magis et plenius, a quo procedit principalis. Augustinus autem dicit quod de Patre
25 procedit principaliter, igitur plenius et magis procedet. Et respondet ad hoc, iuxta quod Augustinus exponit, quod ideo dicitur a Patre <principaliter> procedere, quia Filius nascendo accepit a Patre quod donum commune, quod est Sanctus Spiritus, procederet ab utroque. /X 363a/

Tertio ibi: “ex eodem sensu”. Obiicit secundario ex verbis Hieronymi, qui dicit in tribus locis
30 quod Spiritus Sanctus est vere et proprie de Patre. Et respondet Magister quod haec veritas et proprietas referri debet ad hoc quod Pater a se habet ut Spiritus procedat ab eo, Filius vero illud habet a Patre.

Quarto ibi: “forte etiam”. Obiicit tertio dicens quod eodem modo solvuntur tres auctoritates Hilarii, in quibus dicitur quod Spiritus Sanctus est a Patre per Filium, vel mittitur; referri enim
35 debent haec verba ad istum intellectum quod Pater dat Filio, et Filius habet a Patre, ut ab ipso sit Spiritus Sanctus et mittatur.

Ultimo ibi: “Inde est etiam”. Obiicit quarto dicens quod secundum intellectum istum sumi debet Evangelicum illud: Spiritus qui a Patre procedit; non enim per hoc innuit quod magis vel plenius sit a Patre quam a Filio, sed quod Pater auctor est processionis qua procedit Spiritus
40 Sanctus a Filio, non enim hoc habet a semetipso Filius, sed a Patre. Unde propter huiusmodi rationem dicit Filius: Mea doctrina non est Mea, et quasi omnia sua dicit esse non sua, sed Patris, quia omnia sunt a Patre.

Haec est sententia.

45 **Utrum Spiritus Sanctus procedat uniformiter a Filio et a Patre**

Et primo quod non. Et quia Magister hic quaerit an per prius vel magis et plenius procedat Spiritus Sanctus a Patre quam a Filio, pro evidentia huius materiae inquirendum occurrit utrum Spiritus Sanctus emanet uniformiter a Filio et a Patre. Et videtur quod non, ab his enim non emanat uniformiter Spiritus, a quorum altero emanat plus et magis. Sed magis emanat a Patre
50 quam a Filio, propter unumquodque enim tale illud magis, Filius autem habet a Patre quod ab eo Spiritus Sanctus procedat; et iterum causa prima plus influit in effectum quam causa secundaria. Ergo magis et amplius emanat Spiritus a Patre quam a Filio.

Praeterea, quandocumque aliqua sic se habent respectu alicuius producti quod unum est principale, reliquum minus principale, illa uniformiter non se habent. Sed Augustinus dicit, XV
55 *De trinitate*, /Vb 187vb/ capitulo 17, quod in divinis non est de quo procedat principaliter Spiritus Sanctus nisi Deus Pater. Ergo non uniformiter procedit Spiritus ab utroque.

Praeterea, quando aliqua sic se habent respectu alicuius producti, quod unum duplici via producit, reliquum una tantum, illa non se habent uniformiter in producendo. Sed Pater producit Spiritum Sanctum immediate, et mediante Filio, et per consequens duplici via; Filius autem
60 immediate producit, non mediante Patre. Ergo non se habent uniformiter in spirando.

Praeterea, quando aliqua sic se habent quod unum producit a se, aliud vero habet ab alio quod producat, non se videntur habere uniformiter in producendo; sufficit enim ad inducendum difformitatem, quod unum a se, aliud vero producat non a se. Sed Pater spirat a se, Filius vero hoc non habet a se, sed a Patre. Igitur id quod prius.

65 Praeterea, quando aliqua non habent rationem /X 363b/ unius principii, videtur quod in principiando non se habeant uniformiter. Sed Pater et Filius non sunt unum principium Spiritus Sancti, quia ista unitas vel esset personalis, et sic Pater et Filius essent una persona, quod sapit errorem Sabellii, vel esset essentialis, quod esse non potest, esset enim commune tribus, et secundum hoc Spiritus esset principium sui ipsius. Et iterum si Pater et Filius sunt unum
70 principium, pari ratione unum principium erit Pater et Filius, quod esse non potest, quia si 'principium' supponit pro 'persona', falsum est, si vero pro 'essentia', adhuc erit falsum. Et iterum maior erit unitas inter Patrem et Filium, si sint unum principium, quam inter Patrem et Spiritum, qui sunt tantummodo unum in essentia et essentialibus. Relinquitur ergo quod non se habeant uniformiter in spirando.

75 Praeterea, sicut se habent Filius et Spiritus Sanctus in esse principiato, sic Pater et Filius in esse principium. Sed Filius et Spiritus non sunt unum principiatum. Ergo Filius et Pater non sunt unum principium. Et ita id quod prius.

Praeterea, si Pater et Filius uniformiter spirent Spiritum Sanctum, ambo erunt unus spirator. Sed hoc esse non potest, cum sint duo spirantes. Ergo id quod supra.

80 Praeterea, unitas, proprietas, et perseitas videntur variare modum productionis, quando sic competunt uni producenti, quod non competunt alteri. Sed Hieronymus dicit in Expositione fidei catholicae, et est Epistola 38 in libro epistolarum suarum, quod Spiritus de Patre vere et proprie procedit. Hilarius quoque, XII *De trinitate*, videtur perseitatem excludere a Patre, ait enim, loquens ad Patrem de Spiritu Sancto: In Spiritu, inquit, tuo ex te profecto et per Filium
85 misso, ita quod ex te per eum Spiritus Sanctus tuus est; et infra: Oro, ut Spiritum Sanctum tuum promerear, qui ex te est per unigenitum tuum. Ergo Pater et Filius, ut videtur, non se habent uniformiter in producendo Spiritum Sanctum.

Praeterea, quando aliqua sic se habent quod unum producit per prius, reliquum per posterius, non se habent uniformiter in producendo. Sed sic est de Patre et Filio, saltem enim ordine
90 originis Pater prius producit Spiritum, cum habeat istud a se; et iterum videretur quod etiam duratione, quia unumquodque prius est quam producat, et ita Pater videtur spirare in illo instanti in quo Filius habet esse, et iterum Pater prae-habet spirare in aliquo priori originis, ut videtur, sicut habet essentiam et omnem perfectionem, alias non apparet quomodo posset Filio ista communicare. Igitur Pater et Filius non spi-/Vb 188ra/-rant uniformiter, ut videtur.

95

Quod spirent uniformiter. Sed in oppositum videtur, quando enim aliqua sic se habent quod non per prius, aut magis, aut melius, aut plenius unum illorum producit quam aliud, illa se habent uniformiter in producendo. Sed Magister declarat in littera quod sic est de Patre et Filio respectu Spiritus Sancti. Ergo uniformiter se habent in producendo. /X 364a/

100 Praeterea, producentes eadem productione in numero, de necessitate producunt uniformiter. Sed Concilium dicit, Extra De summa trinitate et fide catholica, capitulo fideli, libro VI, quod fideli ac devota professione fatemur quod Spiritus Sanctus aeternaliter a Patre et a Filio, non duabus spiratoribus, sed unica, spiratione procedit. Ergo procedit ab eis uniformiter, ut videtur.

Praeterea, quaecumque in producendo sunt omnino unum, necesse est uniformiter se habere.
105 Sed Augustinus dicit, VI *De trinitate*, capitulo 15, quod fatendum est Patrem et Filium unum

esse principium Spiritus Sancti, non duo principia. Sed sicut Pater et Filius sunt unus Deus et ad creaturam relative unus creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum Sanctum unum principium sunt. Ergo uniformiter se habent in spirando Spiritum Sanctum.

110 **Responsio ad quaestionem.** Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo namque inquirendum est utrum Pater et Filius quilibet per se sit sufficiens principium Spiritus Sancti, et habeat in se totum id quod exigitur ad ipsum spirandum. Secundo vero utrum sint principium uniforme. Tertio quoque utrum spirent in quantum sunt unum vel in quantum plura. Quarto autem utrum sint plures spiratores vel unus.

115

Articulus Primus

Opinio Henrici. Circa primum ergo considerandum est quod aliqui dicere voluerunt quod voluntas, ut existens in solo Patre vel solo Filio, non est sufficiens principium productivum Spiritus Sancti, sed prout est in duobus. Dixerunt enim quod voluntas, ut concors sic est
120 principium quod concordia est de ratione ipsius, concordia autem voluntatis esse non potest nisi sit in duobus ad minus, propter quod Pater et Filius ut concordet in voluntate spirant Spiritum Sanctum. Quod ergo concordia sit de formali principio productivo Spiritus Sancti, apparere potest ex multis, illud enim quod emanat ut nexus et vinculum ac duorum commune* videtur emanare a duobus ut duo sunt, si enim non a duobus ut duo, iam non erit nexus et vinculum ex
125 sua ratione; vinculum enim ad minus dualitatem requirit: sed Augustinus dicit VII *De trinitate*, capitulo 5, quod Spiritus Sanctus est unitas et sanctitas amborum, scilicet Patris et Filii, quo uterque coniungitur et servant unitatem Spiritus in vinculo pacis; et ibidem dicitur quod est communio consubstantialis utrique et coaeterna. Ergo videtur quod emanet a duobus in quantum duo.

130 Praeterea, Spiritus Sanctus emanat per modum amoris perfectissimi et perfectissime charitatis. Sed Gregorius dicit in *Homiliis* quod minus quam inter duos charitas haberi non potest. Ergo /X 364b/ Spiritus Sanctus a duobus emanat, in quantum duo sunt, aliter perfecta charitas non esset.

Praeterea, licet amor complacentiae /Vb 188rb/ possit esse eiusdem ad se, non tamen amor
135 incentivus et zelativus, quia idem non dicitur zelare se ipsum. Sed Spiritus Sanctus procedit ut Amor incentivus. Igitur procedit ex duobus.

Praeterea, Spiritus Sanctus est amor Patris in Filium obiective et Filii in Patrem, ut Hieronymus dicit super Psalmos. Sed talis amor qui est ab uno et procedit in alium, non potest esse nisi ex duobus ut duo sunt. Igitur id quod prius. Et confirmatur quia Damascenus dicit libro
140 I, capitulo 10, quod Spiritus Sanctus a Patre procedit et in Filio requiescit, quod esse non posset nisi essent duo distincti.

Praeterea, Richardus dicit, III *De trinitate*, capitulo 2, quod ubi pluralitas personarum deest, charitas omnino esse non potest; et frequenter dicit in illo libro quod amoris mutuitas exigitur ad perfectum amorem. Sed Spiritus Sanctus procedit ex perfecto amore. Igitur ut videtur Spiritus
145 Sanctus procedit ex mutuo amore.

Opinio Scoti. Fuerunt autem alii per oppositum dicentes quod concordia voluntatis non est de ratione productivi principii nec amoris mutuitas, quinimmo voluntas, ut in Patre, est sufficiens principium Spiritus Sancti. Pater namque, in illo priori originis quo praecedit Filium, habet
150 omnem perfectionem simpliciter. Sed voluntas pertinet ad perfectionem simpliciter. Ergo Pater habet voluntatem sufficientem et fecundam in illo priori quo Filium praecedit. Tunc autem non est concordia, vel mutuitas amborum. Igitur concordia non est de ratione principii productivi Spiritus Sancti.

Praeterea, Pater nihil recipit a Filio. Sed si non haberet sufficiens principium producendi
155 Spiritum Sanctum nisi cum Filio, tunc reciperet aliquid ab eo, puta perfectionem potentiae spirativae. Igitur istud poni non potest, immo voluntas, ut in Patre, erit sufficiens principium.

Praeterea, nullus respectus rationis est de formali ratione principii productivi realis. Sed concordia voluntatis Patris et Filii non est nisi respectus rationis, alias esset inter Patrem et

Filium alia realis relatio a filiatione et paternitate. Ergo concordia non potest poni de ratione principii productivi Spiritus Sancti.

160 Praeterea: sicut se habet memoria fecunda ad Patrem, sic et voluntas fecunda, cum utraque aequae perfecte debeat poni in eo. Sed constat quod in solo Patre est fecunda memoria sufficiens ad verbi productionem. Ergo in solo Patre est voluntas fecunda sufficiens ad productionem Spiritus Sancti.

165 Praeterea, nihil sonans in imperfectionem poni debet in Patre. Sed si poneretur in eo voluntas non potens producere et habere terminum adaequatum, videretur imperfecta esse. Igitur voluntas, ut in Patre, sufficiens est ad producendum Spiritum Sanctum.

170 Praeterea, Spiritus Sanctus procedit mediante /X 365a/ actu amandi perfectissimo, vel potius ut amor perfectissimus. Sed amor mutuus perfectissimus non est, non enim terminatur ad summum bonum sub ratione summi boni, vel ad infinitum sub ratione infiniti, est enim a Filio in Patrem, ut Pater est, et a Patre in Filium, ut Filius est. Pater autem et Filius, ut sic, non sunt infiniti, sed in quantum Deus. Unde cum amor mutuus terminetur ad personas, in quantum personae sunt, amor autem alius qui mutuus non est terminatur ad essentiam. Ergo Spiritus Sanctus non procedit ut amor mutuus, nec ex concordii voluntate duorum.

175 **Quid circa hoc dicendum secundum veritatem.** Restat ergo videre nunc quid circa istum /Vb 188va/ articulum sit secundum veritatem dicendum. Est autem considerandum quod loqui possumus de principio Spiritus Sancti dupliciter: primo quidem per principium, intelligendo spirativam potentiam; secundo vero per eam intelligendo actum sive productionem ipsam; et
180 secundum hoc formari possunt duae propositiones.

Quod vanum est quaerere utrum concordia sit de ratione spirativae potentiae contra primam opinionem, vel non sit contra secundam. Prima quidem quod vanus extitit labor sic vel sic opinantium et inquiringium utrum concordia sit de ratione potentiae spirativae, declaratum est enim supra quod generare non est aliquid elicited nec etiam spirare, et per
185 consequens nulla est spirativa potentia quasi elicited. Propter quod dicentes quod voluntas ut concors et ut existens in duobus suppositis* est principium elicited spirationis; et dicentes quod immo sine concordia ut existens in solo Patre seu Filio deficient in eodem, supponunt enim quod spirare elicited et esse capiat originative. Quod quantum sit impossibilis superius
190 apparuit et potest hic declarari, quia nihil pertinens intrinsece ad personalitatem Patris capit esse aliunde originaliter vel est elicited, alioquin personalitas Patris non esset a se simpliciter, sed ab alio originaliter, quod absonum est. Sed declaratum est supra, in quaestione immediate praecedenti, quod spirare pertinet intrinsece ad personalitatem Patris sicut essentia, et similiter ad personalitatem Filii, cum essentia et generatio et spiratio active sumpta[e]* fundent penitus
195 eandem unitatem et perseitatem tertii modi. Ergo impossibile est quod spirare sit aliquid elicited aut esse capiens aliunde.

Praeterea, si spirare sit aliquid elicited et accipiens quod sit res, aut hoc capit ut in Patre aut ut in Filio aut ut existit in utroque. Sed non ut est in Patre, quia vel hoc caperet ab ipsomet Patre, quod esse non potest cum Pater non agat in se, nec elicited aliquid pertinens ad se, vel hoc caperet ab alio, et secundum hoc Pater ab alio a se dependeret, quod nullo modo dici potest, cum sit primum suppositum penitus independens. Nec dici potest quod esse capiat ut est in Filio, quia non esset eadem res ut in Filio et in Patre; res quidem esse capiens et res esse non capiens, impossibile est quod sit eadem res, alias /X 365b/ contradictoria simul inessent eidem rei. Spirare igitur, quod in Patre esse non capit si in Filio elicited et esse acciperet, eadem res
200 esse non posset. Nec posset etiam dici tertium, quia si ut existens in utroque esse acciperet, reciperet utique ut in Patre, quod ostensum est esse omnino impossibile. Ergo relinquatur quod nullo modo elicited.

Praeterea, sicut Filius nihil habet nisi gignendo deditum et acceptum, non quod praexistere et deinde* sibi daretur, sed nascendo accepit ut existeret et haberet omne quod habet, sic Pater existendo habet omne quod habet, nec aliquid quod habeat est extra existentiam eius; dicit enim
210 Augustinus XV, *De trinitate*, capitulo 17, quod Pater Filio dedit non iam existenti et nondum

habenti quod spiraret, sed quicquid unigenito verbo dedit, gignendo dedit. A simili ergo quicquid Pater habet, non incipit habere iam existens, sed existendo, ita ut illud sit intra existentiam eius. Sed nullum tale potest esse elicited, alioquin Patris existentia elicited esset.
215 Ergo illud quod prius. /Vb 188vb/

Quod spiratio activa sufficienter est in Patre nec exigit Patrem et Filium coniunctim, quia eadem est sufficienter in quolibet divisim. Secunda vero propositio est quod loquendo de principio spirativo, per ipsum intelligendo spirationem activam, concordia non est de ratione
220 istius principii; est enim spiratio secundum se totam in Patre, et secundum se totam in Filio, nec aliquid pertinens ad eam capit in Filio quod non habuit in Patre. Huic tamen obviare videtur, quoniam supra dictum est quod Spiritus Sanctus videtur esse quidam amarus impulsus a Patre in Filium, et a Filio in Patrem, et per consequens esse tendentiam unius in alterum et e converso. Sed impulsus amarus Filii in Patrem non videtur esse a Patre sed a Filio, et similiter impulsus
225 a Patre in Filium non videtur esse a Filio sed a Patre. Ergo spiratio, cum includat utramque tendentiam, et amarus utriusque impulsus, non videtur esse sufficienter in quolibet divisim.

Praeterea, impulsus amarus erga rem positam in esse formato, et per consequens erga verbum, ut superius dicebatur. Sed tale quid videtur praesupponere verbum. Igitur spiratio exigit Verbum et sic requirit duos, et non est sufficienter in Patre, ut videtur.

230 Sed his non obstantibus, dicendum est sicut prius, actus enim simplicissimus in quocumque est, sufficienter est et totaliter ac perfecte, quia si non totaliter, sed secundum aliquid sui, iam non est omnino simplex. Sed spirare est actus simplicissimus habens pro formali termino personam simplicem Spiritus Sancti. Ergo, cum sit in Patre et in Filio, in quolibet erit totaliter et sufficienter et perfecte.

235 Praeterea, si spirare non esset totaliter in Patre, tunc Filius non acciperet spirare a Patre, immo aliquid pertinens ad spirare haberet a se, utpote illud quod deficeret Patri pertinens ad spirare. Sed Augustinus dicit XV *De trinitate*, capitulo 27, et Homelia** 99, quod Filius a quo habet ut sit /X 366a/ Deus, est enim de Deo Deus, ab illo utique habet ut etiam de se ipso procedat Spiritus Sanctus, et ut de illo procedat Spiritus, sicut procedit a Patre, ab ipso habet
240 Patre. Ergo spirare totaliter est in Patre, nec aliquid accipit in Filio spirare quod non haberet in Patre.

Praeterea, sicut se habet deitas ad Patrem et Filium sic suo modo se habet et spirare, communicatur enim spirare quia communicatur essentia et eodem ordine quo essentia, propter hoc quod in Filio non est repugnantia ad spirare, sicut nec ad essentiam. Sed constat quod
245 essentia deitatis sic est in Patre et in Filio quod est perfectissime in utroque, nec accipit aliquid pertinens ad suam perfectionem in uno magis quam in alio. Ergo et spirare erit perfectissime et totaliter in utroque divisim.

Praeterea, si spiratio aliquam diversitatem habeat prout existit in Filio et prout existit in Patre, hoc erit quia ut est in Patre est quaedam tendentia a Patre in Filium, quando vero in Filio e converso. Sed hoc nullam diversitatem facit, non est enim imaginandum quod Patre amet et Filius redamet, et quod Pater vi amarus impellatur ad Filium et Filius rursus impulsu proprio feratur in Patrem, secundum hoc enim essent diversi impulsus et diversi amarus. Sed debet ita concipi quod in Patre /Vb 189ra/ est amor perfectissimus suae essentiae et suae personalitatis ac personalitatum Filii et Spiritus Sancti et amor bonitatis participatae ab omnibus creaturis; nec
255 sunt isti plures amarus, sed unus amor, qui est ipsamet essentia deitatis. Sicut autem amor est unus, et ita et impulsus amarus sive Spiritus unus est, qui a Patre procedit erga essentiam <et> personalitatem propriam, et Filii et Spiritus Sancti et omnium creaturarum et universorum participantium diligibilis rationem. Hic autem amor idem in numero communicatur Filio, et per consequens in Filio est amor essentiae et personalitatis Patris ac Filii ac Spiritus Sancti, et
260 omnium creaturarum et diligibilium singulorum; similiter etiam communicatur sibi emissio Spiritus et amarus impulsus idem per omnia erga universa praedicta. Et secundum hoc non est una tendentia a Patre in Filium et alia a Filio in Patrem, sed illa eadem, quae erat in omnia ut in Patre, est in omnia ut in Filio. Igitur spiratio ut in Patre et Filio nullam habet diversitatem, et per

consequens tota est in Filio et in Patre perfectissime, non secundum esse collectum, immo
265 singulariter et divisim.

Praeterea, sicut est in verbo mentis nostrae ita est in verbo divino et multo excellentius. Sed
mens nostra posita in esse formato, quae verbum est, eandem impulsionem amoris habet quam
ipsa mens formans, quoniam ipsamet est; nec differt nisi in formare et formari. Ergo et Deus
dicens seu formans, qui Pater est, et Deus filius, qui dictus est et formatus, habebunt eundem
270 impulsus amoris et eandem emissionem Spiritus, et ita eandem spirationem. Unde
considerandum est quod sicut mens posita in esse formato non dicitur redamare mentem
formantem (cum sit una et eadem mens, redamatio autem diversitatem amoris importet et se
ipsam, quia penitus mens eadem est), sic Pater et Filius in divinis /X 366b/ non dicuntur se
redamare sed eodem amore amare. Unde non sunt ibi diversae tendentiae, quarum una incipiat a
275 Patre in Filium, et alia a Filio reflectatur in Patrem, etiam secundum rationem et modum
intelligendi, immo est una et uniformis tendentia, ut declaratum est, et per consequens spiratio
uniformis. Sed est notandum ulterius quod omnis ista tendentia, sive in Patre sit sive in Filio,
quamvis procedat erga essentiam et person<al>itatem trium et omnem creaturam, nihilominus
immediate procedit erga verbum in quantum omnia ut posita in esse formato, sunt immediatus
280 terminus amorosae tendentiae, sicut in praecedenti quaestione extitit declaratum.

Non procedunt ergo instantiae supra inductae. Prima siquidem non, quia non est alia
tendentia Patris in Filium et Filii in Patrem, immo penitus eadem, sicut et idem amor; in Patre
namque est amorosa tendentia respectu propriae personalitatis, quae cum communicetur Filio,
erit tendentia eadem, quae ut in Patre erit a Patre in Patrem, ut in Filio vero a Filio in Patrem,
285 eodem quoque modo, cum in Patre sit tendentia in Filium, et illa communicetur Filio eadem erit
prout est in Filio, quod tendentia Filii in se ipsum.

Nec etiam secunda procedit, quamvis enim exigatur Verbum propter habitudinem termini,
non tamen de necessitate requiritur propter habitudinem principii elicitivi.

Motiva vero primae /Vb 189rb/ opinionis quae viderentur huic sententiae obviare non
290 cogunt.

Primum siquidem non, quamvis enim Spiritus sit vinculum, non tamen tale vinculum quin
possit esse eiusdem ad se ipsum, nec requiritur dualitas nisi qualis est inter rem ipsam ut existit
in se et ut ponitur in esse formato; similiter etiam non exigitur dualitas elicitivi principii, immo
sufficit unum elicitivum principium, quamvis exigatur quod ipsum ponatur in esse formato, ad
295 hoc quod habeatur terminus in quem immediate Spiritus tendit.

Nec etiam valet secundum, quia caritativo amore potest quis diligere se ipsum, immo ex
charitate tenetur plus diligere se ipsum <amore> [amare] quam proximum. Quod ergo dicunt
Gregorius et Riccardus, III *De trinitate*, neminem proprie ad se ipsum charitatem habere, sed
quod in alterum tendit ut charitas esse possit – dicendum quod non aequae distinguitur amor
300 naturalis a caritativo respectu sui, sicut respectu proximi, propter quod amor alterius videtur
amplius segregari a naturali, et ita magis caritativus; non tamen intendunt sancti quin verissima
charitate quis diligere se possit.

Non valet quoque tertium, tum quia amor incentivus (immo summe intensus) potest esse
respectu sui, tum quia Spiritus Sanctus non emanat ut amor zelativus.

Non valet etiam quartum, quia illa tendentia quae est Patris in Filium est omnino prout est in
Filio a Filio ipso in Patrem; Spiritus quoque Sanctus requiescere dicitur in Filio propter
habitudinem termini, sub qua <Spiritus> [Filius] respicit <Filium> [Spiritum], tamquam verbum
formatum.

Non valet etiam ultimum de perfectione <alia*> [namque] amoris, sive de iocunditate amoris
310 est redamatio /X 367a/ ubi sunt amores distincti. In divinis autem non est amoris distinctio,
unde nec exigitur redamatio. Et quod dicit Riccardus, quod in divinis charitatis iocunditas
exigit, ut ibi sit personarum pluralitas, non est intelligendum ut exigat istam pluralitatem ad hoc
quod plura sufficiant ad amorem ad quem non sufficiat una persona, immo quaelibet
sufficientissime amat, ut ipsemet deducit, et similiter Pater et Filius quilibet perfecte et
315 completissime spirat.

Et in hoc primus articulus finitur.

Articulus Secundus

Quod Pater et Filius sunt uniforme principium Spiritus Sancti. Circa secundum autem
 320 considerandum quod quatuor sunt quae impedire videntur ne Pater et Filius uniformiter se
 habeant in spirando. Primum quidem prioritas, videretur enim quod Pater per prius spiraret
 quam Filius; secundum vero principalitas, quia Augustinus dicit quod Spiritus Sanctus a Patre
 procedit principaliter; tertium quoque gradualitas, quia Hieronymus dicit quod Spiritus vere et
 325 proprie procedit a Patre, per quod videretur quod magis et plenius procederet ab eo quam a
 Filio; quartum autem immediatio, videretur enim quod immediatius esset a Filio quam a Patre,
 quia dicit Hilarius quod est a Patre per Filium. Si ergo declaretur quod nullum istorum impedit
 uniformitatem, apparebit intentum.

Primo ergo non impedit, quaecumque enim sic se habent quod sunt naturali coexistentia, et
 cointelligentia simul, quicquid emanat ab illis, aequae primo emanat; talium namque unum non
 330 est alio prius, nec potest intelligi ut existens prius. Sed similiter probatum est quod Pater et
 Filius sunt simul naturali coexistentia et cointelligentia, impossibile est enim intelligi generare
 sine generari, paternitatem sine filiatione, et Patrem sine Filio. Ergo cum Spiritus Sanctus
 emanet ab ambobus, in eodem **/Vb 189va/** signo in quo intelligitur Pater, intelligitur Filius, et in
 eodem intelligitur ab utroque emanare Spiritus Sanctus.

Et si dicatur quod ratio non concludit nisi* spirare esset etiam simul intelligentia naturali
 cum Patre et Filio, non est autem quia Pater et Filius intelligi possunt absque spirare, dicendum
 quod licet aliqui hoc concesserint, nullo tamen modo verum est quin Spiritus Sanctus sit simul
 naturali cointelligentia, ita ut nec Pater nec Filius possint intelligi sine Spiritu Sancto, sicut nec
 340 Pater sine Filio aut e converso. Et ratio huius est quia spirare est de intraneitate personae Patris
 et personae Filii, ut dictum est supra, unde impossibile est concipi personalitates eorum quin
 concipiatur persona Spiritus Sancti; loquimur autem hic de proprio et claro conceptu, non de
 obscuro et aenigmatico (qualis est conceptus viatoris).

Praeterea, multo nobilior est in trinitate increata quam in creata imagine. Sed in imagine
 mentis nostrae Spiritus per necessitatem simul procedit a mente et verbo mentis, non enim mens
 345 amat se donec conspicit se et ponit in esse prospecto; ex quo autem in esse prospecto posita **/X
 367b/** est per necessitatem velit, nolit mens emanat ab ipsa conspicua et in esse prospecto
 posita, quicquid emanat ab ipsa ut conspiciens est et ponens, cum sit penitus una mens, una vita
 nec prius emanat a se ipsa ut est ponens quam ut est posita. Igitur ita erit in increata trinitate
 quod Deus ut formans et dicens, qui Pater est, et Deus conceptus et dictus, qui Filius est, simul
 350 et aequae primo Spiritum Sanctum producent.

Est autem considerandum quod licet generatio Verbi et spiratio Spiritus omnino sint simul
 naturali intelligentia in divinis, nihilominus inter illas videretur esse ordo originis in quantum
 Filius est a Patre per generationem, et ita generatio habet rationem principii respectu Filii, Filius
 autem habet rationem principii respectu Spiritus Sancti. Unde cum id quod est principium
 355 principii sit et principium principiati, generatio videtur habere ordinem originis respectu
 spirationis Spiritus Sancti, et hoc concessum extitit a quibusdam.

Sed si attendatur quod spirare non est aliquid elicited, sicut nec generare, apparet quod inter
 illa non est ordo originis, cum exigit origo ut aliquid eliciatur et esse capiat. Et ideo dicendum
 est quod spirare exigit generare, non in ratione principii aut originantis, sed quia per generare
 360 habetur terminus erga quem est spirare, cum non sit aliud spirare quam impulsus amoris erga
 rem intellectam et in prospectu constitutam, ut saepe dictum est. Est igitur ordo suppositionis et
 exigentiae inter spirare et generare, de quo dicit Philosophus in postpraedicamentis quod
 secundo modo dicitur prius quod non convertitur secundum subsistendi consequentiam, ut unus
 duobus prior est, duobus enim existentibus mox consequens est ut sit unus; uno autem existente
 365 non necesse est duos esse, idcirco non convertitur ab uno consequentia, ut sit reliquum.
 Consimiliter inter Verbum et Spiritum, ex natura rei talis est habitudo quod si est spiratio,
 Spiritus exigitur, ut sit Verbi formatio, sed non e converso, ut apparet in nobis. Non est igitur
 inter spirationem et generationem aliquis ordo originis, sed tantum ordo non convertentiae

secundum subsistendi consequentiam, propter quod in divinis Verbi formatio et spiratio omnino
370 sunt simul, et ita aequae primo est spiratio a Verbo sicut a Patre.

Secundum vero non impedit: nec enim principalitas, qua Spiritus Sanctus dicitur principaliter
esse a Patre, aufert quin uniformiter sit ab utroque. Est enim sciendum quod principalitas
quandoque refertur ad virtutem, sicut pater principaliter se habet quam mater in filii generatione
(virtus enim matris passive se habet, virtus **/Vb 189vb/** autem patris active), quandoque vero
375 refertur ad originem, quamvis eadem sit penitus virtus et actio, quomodo dici posset quod
spiritus in nobis principaliter est a mente ut est in se quam ab ipsa ut est in esse conspicuo
constituta, non enim principalitas poneret hic virtutis aut productionis maiorem perfectionem,
cum eadem productione producat mens ut in se et ut in esse conspicuo constituta, est quidem
380 penitus eadem, sed referretur principalitas illa ad quandam originem in quantum mens habet
quod sit in tali esse posita **/X 368a/** a se ipsa ut in se existente. Consimiliter in proposito Spiritus
Sanctus dicitur a Patre principaliter esse, quia hoc habet Pater a se; Filius autem habet a Patre.

Potest ergo sic concludi propositum, illud quidem non tollit spirationis uniformitatem quod
ipsam non reddit perfectiorem nec intensiorem, sed principalitas quae Patri attribuitur in
spirando non est virtutis principalitas, nec intensiorem aut perfectiorem spirationem facit, immo
385 remanet penitus eadem et in eodem gradu; igitur uniformitatem non tollit.

Sed forte dicitur quod hoc sufficit ad uniformitatem tollendam: quod Pater habet a se Filius
a Patre, a se enim et ab alio videntur inducere quandam difformitatem. Sed dicendum quod ista
inducunt diversum modum habendi spirationem, quod utique verum est etiam de deitate; habet
enim persona quaelibet proprium modum existendi secundum Richardum, IV *De trinitate*; unde
390 deitas et spiratio est in Patre a se, et utrumque est in Filio nascendo ab alio, sed in modo
spirandi nullam diversitatem inducunt; unde alio modo habet spirationem Filius quam Pater; sed
tamen illa spiratione habita, uniformiter spirant.

Tertium quoque non impedit: non enim plenius aut magis aut perfectius aut aliquis altior
gradus locum habent ubi res penitus eadem et omnimode simplex. Sed spiratio activa est res
395 simplicissima in Patre existens a se, in Filio a Patre, sicut etiam deitas, nec in Patre elicit a nec in
Filio, sed utrobique res non esse capiens aliunde. Ergo non plenius nec melius spirabit unus
quam alter. Proprietas autem et unitas* quam Patri Hieronymus attribuit in spirando, non debet
referri nisi ad originem, ut dictum est de principitate.

Quartum autem non impedit: mediatio enim, prout intelligitur, ut notet habitudinem principii,
400 eo modo quo consuetum est dici quod artifex agit per artem, vel baiulus facit per regem, in
quantum ars est formale principium quo dirigitur artifex, et rex dat baiulo auctoritatem qua facit;
quandoque vero habet habitudinem motivi, ut cum dicitur quod artifex agit per complacentiam
artis suae vel per cupiditatem lucri, lucrum enim vel delectatio movet ipsum ad operandum;
quandoque vero importat habitudinem instrumenti, ut cum dicitur, quod faber agit per dolabram,
405 vel mediante martello; quandoque vero importat habitudinem principii, causa enim dicitur
facere quicquid effectus facit, unde pater agit per filium quicquid filius facit. Haec autem
habitus principii potest esse dupliciter. Primo quidem, quod tam virtus quam suppositum
principiata sint, sicut est in creaturis et hanc habitudinem significamus cum dicimus quod causa
agit per effectum. Secundo vero quod solum suppositum sit principiatum, virtus autem sive
410 productio principiatum non **/Vb 190ra/** sint, sed tantum communicata, et ita est in divinis, nec
enim spirare, ut est in Filio, est quid elicatum seu productum, sed communicatum, sicut essentia.

Unde potest propositum sic concludi: sola mediatio inducit difformitatem quae vel importat
habitudinem principii **/X 368b/** vel motivi vel instrumenti vel principii, ut productio
principiata est. Sed mediatio, qua Pater per Filium vel mediante Filio spirat, non est huiusmodi,
415 sed tantummodo quia suppositum est productum; spiratio vero producta non est, sed eadem
communicata. Ergo non tollit uniformitatem. Unde, sicut mens ante se posita et in se existens
eadem est et aequae immediate omnia faciens, sic Pater et Filius eandem spirationem habentes
aeque immediate spirant; dicitur tamen Pater per Filium vel mediante Filio spirare eo modo quo
producens agit, mediante producto, quicquid productum agit, et tunc tolleretur immediatio
420 producentis, si in producto esset alia actio aut alia virtus; sed in divinis, ubi eadem spiratio
communicatur producto, agere per ipsum vel mediante ipso immediationem non tollit.

Patet igitur ex praemissis quod licet Pater et Filius difformiter habeant spirationem actionem, sicut et deitatem, difformitatem referendo ad originem solam et non ad aliquid aliud; habet enim Pater a se quod Deus sit et quod spiret, Filius vero habet utrumque a Patre; nihilominus prout
 425 activa spiratio comparabitur ad productum, quod est Spiritus Sanctus, non inveniatur ulla difformitas, ut secundum hoc difformitas sit in habendo spirationem, nulla vero difformitas in spirando per eam.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

430

Articulus Tertius

Utrum Pater et Filius spirent in quantum unus vel plures: opinio Scoti et aliorum quorundam. Circa tertium autem considerandum quod aliqui dicere voluerunt quod Pater et Filius spirant simpliciter in quantum sunt unum; reduplicatio enim dicit causam inhaerentiae predicati ad subiectum. Sed una vis spirativa et una spiratio sunt causa attributionis huius
 435 praedicati, quod est spirare, respectu Patris et Filii. Ergo Pater et Filius spirant in quantum unum.

Praeterea, Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum in quantum sunt principium Spiritus Sancti. Sed sunt unum principium, ut determinat concilium generale Extra de summa trinitate et fide catholica, capitulo fidei, libro 6. Ergo spirabunt in quantum unum.

440 Praeterea, sicut se habet trinitas ad creandum, sic Patris et Filii personalis dualitas ad spirandum. Sed tota trinitas creat in quantum unus Deus. Ergo Pater et Filius spirabunt in quantum unus spirator.

Praeterea, si Spiritus Sanctus procederet a Patre et Filio in quantum plures, non perfecte procederet ab uno solo. Sed probatum est supra quod licet non procederet a Filio, adhuc perfecte
 445 procederet. Igitur id quod prius.

Opinio Alexandri antiqui et Henrici, et Thomae, prima parte, quaestione 37, articulo 4, in solutione primi argumenti. Dixerunt autem alii quod Pater et Filius spirant in quantum plures simul et unum, /X 369a/ reduplicatio enim denotat causam inhaerentiae. Sed Pater et Filius
 450 spirant ratione virtutis spirativae existentis in duobus suppositis; voluntas enim ut concors est principium spirativum, concordia vero est de ratione huius principii, et exigit necessario supposita duo. Ergo spirant in quantum /Vb 190rb/ plures suppositaliter habentes unam vim spirativam.

Praeterea, condilectio seu condilectum habere, secundum Richardum, probat quod in divinis
 455 sit tertia persona, sicut enim summa dilectio declarat quod in divinis sit Filius et persona secunda, quae summe diligatur, sic dilectionis dulcedo quae exigit tertium condilectum demonstrat quod in divinis sit Spiritus Sanctus et tertia persona. Sed talis condilectio exigit pluralitatem et unitatem. Ergo Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio in quantum sunt unus et plures.

460 Praeterea, actus qui procedit ab eadem virtute et a duobus suppositis, ita quod exigitur virtutis identitas et suppositorum alietas, ille egreditur a duobus in quantum unum sunt et in quantum plura, unum quidem virtualiter, et plura suppositaliter. Sed actus spirandi est ab eadem virtute spirativa, ut est in duobus suppositis, quia Spiritus Sanctus procedit per modum amoris mutui. Igitur Pater et Filius spirant in quantum plures et in quantum unum.

465

Opinio quorundam. Dixerunt vero alii quod actus spirandi potest dupliciter accipi. Uno modo secundum rationem actus, et quia actus in quantum huiusmodi non respicit in producente nisi productivum principium, accidit enim sibi quod sit unum vel plura, sicut calefacere non respicit nisi calorem, pluralitatem autem vel unitatem non aspicit nisi per accidens, ideo Pater et Filius
 470 secundum hunc modum non spirant in quantum unum, nec in quantum plures, immo hoc accidit eis et patet in simili, quia Pater non generat Filium in quantum unus vel in quantum plures, sed tantum virtus generativa ibi consideratur. Alio modo actus spirandi considerari potest, in quantum est quaedam simplex perfectio et indivisibilis, et ista simplicitas est in actu ratione principii, et sic nullo modo dici potest quod Pater et Filius producant ut plures, quia pluralitas

475 suppositorum nihil facit ad actum, nec ad modum actus; sed est simplex actus ille et unus, atque indivisibilis, propter unam vim spirativam in Filio et in Patre.

Quid dicendum secundum veritatem. Restat ergo nunc circa istum articulum dicere quod videtur sub tribus propositionibus.

480 Prima quidem quod Pater et Filius nec spirant in quantum unus, nec in quantum plures, si ly 'inquantum' reduplicet formale principium producendi sive vim spirativam. Probatum est enim saepe quod respectu actuum notionalium, non sunt aliquae elicivae potentiae in divinis, sed sunt actus inelicitivi, nec esse capientes aliunde. /X 369b/ Praedictae autem opiniones tres aspiciunt ad huiusmodi vim spirativam, propter quod non procedunt.

485 Secunda vero propositio est quod Pater et Filius, prout spirant, sunt unum in quadam re penitus indistincta, nec habente propriam unitatem. Est enim considerandum quod aliqui voluerunt Patrem et Filium habere rationem unius principii et unius spiratoris per modum cuiusdam personae, unde dixerunt quod transeunt in unum suppositum, prout sunt unus spirator. Hoc autem verum non est, tum quia impossibile est quod amittant proprias personalitates, quibus distincti sunt, amitterent autem, si confluerent in unam personam; tum quia simul essent
490 duae personae et una persona, quod est impossibile, essent quidem una persona in quantum unus spirator, et duae personae in quantum Filius et Pater. Et ideo alii concesserunt quod non sunt unum /Vb 190va/ hoc modo, sed in una re, quasi adventitia personalitatibus utriusque, quae quidem res est spiratio actio. Sed nec etiam hoc dici potest, quia si realitas activae spirationis
495 esset extra personalitates amborum et quasi adventitia, necessario esset quaternitas rerum in Deo, duae namque personae et illa realitas communis constituerent rerum ternarium, et cum persona Spiritus Sancti essent quatuor res. Propter quod dicendum quod spirare ita ingreditur personalitates Filii et Patris, sicut et deitas, unde est quaedam res non habens propriam unitatem, nec ponens in numerum, sicut superius extitit declaratum de divina essentia. Debent
500 ergo sic concipi Pater et Filius per modum unius spiratoris, sicut per modum unius Dei, intelliguntur autem unus Deus non quidem personaliter et per modum unius per se tertio modo perseitatis – immo secundum hunc modum intelligitur Deus trinus et Pater et Filius duae perseitates et unus Deus – sed intelliguntur unus essentialiter in quadam re communi et inpraecisa non habente perseitatem, alioquin esset persona. Consimiliter in proposito, cum
505 dicuntur unus spirator, debent intelligi duo habentes proprias perseitates, communicantes tamen in una re indistincta, quae spiratio nuncupatur.

Tertia quoque propositio est quod si reduplicatio illa in quantum feratur super actum spirationis, non super vim spirativam, et quaeratur secundum hoc an Pater et Filius spirent in quantum unus vel plures, concedi potest quod in quantum sunt unum. Ubi considerandum quod
510 reduplicatio illa vel potest ferri super unitatem importantem quandam relationem secundum rationem Patris ad Filium, solus enim Pater non potest dici unum, vel solus Filius, sed ambo simul dicuntur unum, seu convenientes et concordantes in spirare. Et si haec unitas, hoc est duorum concordia et simultas intelligatur, dicendum est quod non spirant in quantum unum, solus enim Pater est sufficiens spirator et similiter solus Filius. Unde accidit Patri in quantum
515 spirat quod sibi in spirando Filius unus sit. Vel potest ferri super unitatem actus spirativi, ut sit sensus quod Pater et Filius spirant actu spirativo in quantum unus est, et nec sic propositio esset vera, pro eo quod unitas et pluralitas sunt extra conceptum formalem /X 370a/ actus spirativi, sicut et extra conceptum cuiuslibet entis, saltem ratione connotatae negationis, de qua dictum est supra. Vel potest ferri* ad substratum negationi, puta ad realitatem spirationis, quae una est, et
520 sic propositio erit vera, Pater enim et Filius spirant, in quantum unum, hoc est ratione spirationis activae, in qua sunt omnino unum, unde non spirant ratione unitatis, hoc est simultatis vel connexionis eorum, nec ratione unitatis, hoc est indivisibilitatis actus spirativi, quia indivisibilitas non est eis formalis ratio qua producunt, sed spirant ratione spirationis, quae una et indivisibilis est, et ratione cuius sunt unum. Sic igitur patet quomodo concedi potest quod
525 Pater et Filius spirant in quantum sunt unum.

Et in hoc tertius articulus terminatur.

Articulus Quartus

In quo ostenditur quod Pater et Filius sunt unus spirator et unum principium Spiritus Sancti. Opinio Thomae, ubi supra. Circa quartum autem considerandum quod aliqui dicere voluerunt quod spirator in singulari, ideo dicitur de Patre et Filio, quia nomina substantiva habent numerum a se ipsis secundum formam si-/Vb 190vb/-gnificatam. Nomina vero adiectiva numerantur secundum supposita. Unde hoc* concedi debet: Pater et Filius sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum; non autem quod sint duo spiratores propter identitatem formae significatae, quae est spiratio activa.

Sed haec ratio, et si contineat veritatem, est tamen insufficiens et nimis superficialis, nec enim reddit causam quare sic est quod adiectiva numerentur secundum supposita, substantiva vero secundum formam significatam; immo magis oppositum videretur. Tum quia adiectivum significat solam formam sine supposito, album enim significat solam qualitatem, substantivum autem, utpote albedo, significat formam per modum suppositi. Tum quia determinatio ponit suum significatum circa proprium determinabile, et per consequens cum dicitur duo spirantes, spiratio significata deberet plurificari, ut videtur. Tum quia non solum adiectiva nomina, immo verba et participia numerantur secundum supposita. Unde oportet quod generalis regula assignetur.

Propter quod dicendum quod in omni constructione suppositum, quoad genus, casum, et numerum, et alios modos significandi, dicitur gubernare totam orationem, pro eo quod omne appositum, puta verbum, et omne adiectivum habet rationem dependentis secundum modum vel rationem intelligendi, et modum cuiusdam minus principalis. Suppositum autem habet rationem fulcientis et dependentiam omnium terminantis. Sola ergo significantia suppositum trahunt numerum a se ipsis, ut pronomen et nomina substantiva; alia vero omnia, sive sint verba sive participia sive nomina adiectiva, trahunt numerum ex pronomibus et nominibus substantivis; hoc autem non est nisi quia illa supposita non significant, ista vero supposita claudunt in suo /X 370b/ significato, pronomen enim substantiam meram significat, nomen vero substantivum significat qualitatem per modum suppositi et substantiae; unde cum plurificatur substantivum, datur intelligi quod forma significata per modum suppositi plurificetur et numeretur. Et haec est ratio quare Pater et Filius non dicuntur duo spiratores, esset enim sensus quod essent duo supposita, duas spirationes habentes, conceditur autem quod sunt duo spirantes vel duo qui spirant, quia verbum et adiectivum, quantumcumque enuncientur pluraliter, non denotant suum significatum plurificari, quia supposita quae denotantur semper plurificari, sunt extra significata eorum.

Ex eisdem quoque patet quare Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, non est enim alia relatio principii in Patre et Filio respectu Spiritus Sancti, et alia habitudo spiratoris, sicut ergo unica est spiratio. Propter quam Pater et Filius dicuntur unus spirator, sic est unica principiatio, propter quam unum principium appellantur. Est autem 'principium' nomen substantivum, propter quod significat habitudinem principii per modum suppositi. Unde si diceretur pluraliter de Patre et Filio respectu Spiritus Sancti, denotaretur spirationum pluralitas et principiationum, propter quod non conceditur quod sint plura principia Spiritus Sancti. Pro regula ergo generali tenendum est quod omnis pluralitas in oratione reducitur ad supposita. Quando ergo forma significatur per modum suppositi, tunc plurificatur et forma, /Vb 191ra/ sicut patet in omni nomine substantivo. Quando vero non significatur per modum subsistentis, sicut in nominibus adiectivis, pluraliter dicuntur nomina talia; nec tamen forma plurificabitur pro eo quod pluralitas semper refertur ad suppositum, et numquam ad formam, nisi coincidat cum supposito; unde in Sorte possunt esse plures scientiae, nihilominus non dicitur plures scientes, sed unus sciens; si vero plures eandem scientiam haberent, dicerentur duo scientes, vel plures, propter multitudinem suppositorum.

Et in hoc quartus articulus terminetur.

Responsio ad obiecta

Ad ea ergo quae superius inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod nec magis nec plus spirat Pater quam Filius. Et quod dicitur, quod Pater est causa spirationis Filio, dicendum

quod quando causa communicat eandem actionem producto, tunc non magis agit quam ipsum productum; sic autem est in proposito. Vel dicendum quod causa primaria et secundaria locum non habent in divinis, sed producens et productum est id quod per productionem communicatur, de quorum numero est deitas et activa spiratio.

585 Ad secundum dicendum quod principalitas quam habet Pater in spirando, non refertur ad aliquam perfectionem, sed solum ad originem; habet enim Pater quod spiret a se, Filius vero habet a Patre. Pater ergo secundum hoc principaliter spirat, quia a se habet quod spirat, non quia perfectiori modo spiret.

590 Ad tertium dicendum quod Pater semper immediate Spiritum producit, nec mediante filio ob aliud spirare, dicitur nisi quia eadem **/X 371a/** productio spirativa quae est in Patre, et in Filio communicata a Patre.

Ad quartum dicendum quod a se et ab alio non inducunt difformitatem in modo producendi, sed in modo habendi ipsam productionem, ut dictum est in corpore quaestionis.

595 Ad quintum dicendum quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, non quod sint una persona; nec tamen haec unitas est essentialis, sed unitas cuiusdam proprietatis realis, videlicet spirationis activae, quam utraque persona habet intra suam perseitatem identice et indistincte; nec propter hoc inter Patrem et Filium erit maior identitas personalis, quam inter Patrem et Spiritum Sanctum, sed nec maior unitas essentialis, sed erit unitas cuiusdam communis productionis in qua conveniunt, quod nullum inconveniens inducit.

600 Ad sextum dicendum quod Spiritus Sanctus et Filius non habent in se unum principiari in numero, quia generari et spirari non sunt eadem passivae productiones, immo alterius rationis sunt, et ob hoc non dicuntur unum principiatum; spirare autem est unum et idem in numero in Patre et in Filio, propter quod dici possunt unum principium. **/X 371b/**

605 Ad septimum dicendum quod ambo possunt dici unus spirator in singulari et duo spirantes in plurali propter rationem superius assignatam. Et si dicatur quod Hilarius dicit Spiritum Sanctum esse a Patre et Filio tamquam ab actoribus, dicendum quod loquitur improprie vel quod 'actor' ibi tenetur adiective.

Ad octavum dicendum quod Pater vere et proprie ac mediante Filio dicitur spirare, pro eo quo a se habet quod spiret, Filius autem a Patre.

610 Ad ultimum dicendum quod Pater non habet in aliquo priori spirationem activam aut in aliquo signo antequam Filius, cum in nullo signo intelligatur quod Pater sit spirator aut Deus quin per necessitatem in eodem signo intelligatur Filius et spirator et Deus; nec inter **/Vb 191rb/** spirare et generare est ordo originis, sed solius realis suppositionis, non enim spirare in Patre originatur a generare, nec in Filio a generari passivo, sed nec Filius habet ordinem originis ad spirare activum, quia non est aliquid elicatum; nihilominus Filius habet habitudinem originis ad spirare activum, quia non est aliquid elicatum; nihilominus Filius habet habitudinem originis ad Spiritum Sanctum ratione activae spirationis, a qua infertur, et producitur Spiritus Sanctus.